

Dissertatio anatomico-chirurgica : de cannula è gummi elastico per nares immittendâ, ut, faucibus impeditis, alimenta & medicamina in oesophagum ingerantur.

Contributors

Rebeyrol, Pierre.
Botentuit Langlois, Pierre Mathurin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1787.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ktywm7ad>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

18.

CLARISSIMO VIRO,
PIO SACERDOTI,
D.D. PETRO GUILHOMAUD,
IN SIGNIS ECCLESIAE PICTAVIENSIS,
DEO
SUB INVOCATIONE S. HYLARII MAGNI CONSECRATAE;
CANONICO,
AVUNCULO CARISSIMO,
IN VENERATIONIS ET GRATI ANIMI MEMORIAM
DICAT, VOVET, CONSECRAT
P. REBEYROL:

CIVITASIMO AYRO
DIO Sacerdoti
D.D. PETRO QUINONIUS
INICIAZIE ECCEZIE PICTAVIZIE
D. B. O.
CINONICO
MAGI QUILO CAVITASIMO
TICAE, FOAT, CONSECRATA
U. REBFROR



DISSE^RTAT^IO ANATOMICO - CHIRURGICA.

DE CANNULA è gummi elastico per nares immitendā, ut, faucibus impeditis, alimenta & medicamina in œsophagum ingerantur.

Quidquid vivit ali debet : huic legi pariter omne animal ; omnis planta subjicitur ; nec ab eâ magis immunis homo fuit , qui , quoad corpus , eodem modo , ac brutæ pecudes , nascitut , vivit , & moritur . Singulo momento ipsâ vi vitæ non fluida tantum avolant , sed ipsa solida consumuntur : durissimas etiam corporis humani partes , ossa , à resolutione lentâ sua non defendit firmitas : undè necesse fuit ut perpetuæ jac-

A ii

4

turæ perpetuâ reparatione provideretur ; quod quidem præstat nutritio. Alimenta enim in os assumpta , per œsophagum degluta-
tia , in ventriculum recepta , ibidem , ut & in intestinis , affusa-
bile & immixto succo Pancreatico , in pulm̄ mutantur , ex
quâ chylus exprimitur mox in sanguinem , ac deinde in nos-
trummet substantiam vertendus. Quæ si duæ functiones aliquâ
de causâ plûs minùsve lœdantur , languent exhausto robore
vires , & si penitus tollantur , funus imminet ineluctabile.
De naturali Deglutitione impeditâ , mediisque tunc usurpandis
dicturi , partium anatomiam breviter tantum , & quantum
ad propositum sufficiet exponemus.

EX ANATOMIA.

Os in duo cava dividitur ; anterius nempè , quod oris præ-
cipuè nomen retinet , & posterius fauces , seu Pharyngem
dictum. Utrumque cavum septo medio mobili , pendulo pa-
lati velo , separatur. In ore anteriori considerantur genæ ,
dentes , gingivæ , labia , multiplices glandulæ , ac demùm
lingua quæ , cùm sit præcipuum deglutitionis organum , sola
nobis consideranda venit.

Lingua , corpus molle & musculosum , in medio arcus ma-
xillæ inferioris ponitur : in basim , corpus , & apicem divi-
ditur : facies altera superior , inferior altera : margines duo
dextrum sinistrumque latus occupant : membranâ cooperit
oris membranæ continuâ , quæ à vicinis partibus ad eamdem
reflexa quedam veluti ligamenta efficit , quibus iisdem par-
tibus adhæret : fibris muscularibus internis & externis con-
flatur : internæ musculum lingualem constituunt , externæ à
genio , *stylo* , & *hyo-glossis* oriuntur , quibus nonnulli *milo-*
glossum addunt.

Ut deglutiantur alimenta , elevatur basis linguæ , ad palatum adprimitur , cibosque versus fauces exprimit : tūm retrorsum ducta , impellit epiglottidem quæ inversa claudit aditum ad laryngēm , & pontis officio fungitur , quo cibi ad œsophagum detruduntur . Nec parūm quoque huic functioni favet palati velum quod ab osleo palato ortum , inter nates & isthimum faucium propendet , & ita musculis dirigitur ut , modò cavitates posteriores narium penitus claudat , modò os anterius à posteriori separet , modò utramque viam liberam relinquat : musculi enim elevatores depressoresque diversimodè agunt , prout cibi ingerendi sunt , aut aëri in laryngem aditus permittendus est .

Os posterius , sive pharynx dicitur cavea superiùs cuneata , in medio lata , inferiùs angustior . Interior membrana , oris & narium membranæ continua , glandulis seu mucosis folliculis scatet quæ spissiorem salivam lubricandis partibus idoneam evomunt . Hanc undique membranam circumveunt , seu potiùs ipsum pharyngis textum constituunt fibræ musculares quæ , undcumque orientur , posteriùs in lineam tendineam coeunt à parte pharyngis superiore ad œsophagum usque protensam . Numerosissimi illi fibrarum fasciculi varia pro variâ insertione seu directione nomina fortiti fuerunt : sed ad tres classes commodiùs reducuntur , quarum superior *Stylo* , *Palato* , *Pterigo* , *Buccinato* , & *Glosso-Pharyngeos* musculos complectitur : secundam constituunt *Syndesmo* , & duo *Cerato-Pharyngei* : tertiam verò *Thyro* , & *Crico-Pharyngei* , qui ab iisdem cartilaginibus oriuntur . Ex iis musculis nullus pharyngem dilatat , qui satis abundè ipsimet alimentis expanditur ; omnes contra ejus cayum constringunt , undè in tres constrictores , su-

periorem nempe, medium, & inferiorem à quibusdam dividuntur. Pone musculos undique laxa tela cellulosa apponitur, quæ fauces dilatatu faciliores, & cuilibet corpori recipiendo aptiores efficit.

Plures in pharynge cavitates hiant: inferius scilicet & anterius glottis, quæ ad laryngem ducit: à parte nempe mediâ & posteriori cartilaginis thyroïdeæ ad anteriem cartilaginum arytenoïdum partem duo hinc indè protenduntur ligamenta, inter quæ rima dehiscit oblonga, anterius stricior, posterius latior. Secundum hanc rimam sinistrorsùm & dextrorsùm, inter superiora & inferiora ligamenta, duæ adhuc satis profundæ reperiuntur caveæ, sinus seu ventriculi laryngis nuncupatæ. Clauditur glottis cartilagine, à situ, epiglottide dictâ: lingulæ formam habet, à thyroideâ cartilagine oritur; superior ejus facies convexa ad linguæ basim, inferior concava ad glottidem respondet. Paulò posterius alia reperitur cava, quæ pro pharyngis continuatione, aut œsophagi initio pariter haberî potest. Superius animadvertuntur tubarum Eustachii, & posteriora narium orificia.

Cavitates nasales constituunt ossa maxillaria, palati, nasi, unguis, ethmoïdes, sphenoïdes, vomer, & turbinata inferiora: membranâ vestiuntur molli & fungosâ, exteriùs albicans, interius rubrâ, vasis sanguineis, nervis, glandulisque infarcitâ, ossibus cartilaginibusque firmiter adhaerenti, quæ pituitaria, seu Schneiderii membrana vocatur. In tres meatus dividi possunt quorum inferior tantum ad fauces penetrat, ideoque solus hic considerandus: paries ejus inferior parte palatinâ ossis maxillaris, & ossis palati quadratâ parte formatur: ad exteriorem parietem confert eorumdem osseum processus ascendens: interiorem conficiunt vomer, lamella descendens

ossis ethmoïdei, & cartilago narium intermedia: superius propendet os turbinatum inferius. Canalis inde nascitur sat patulus initio, deinde gracilescens, posticè latior, ubique lubricus, & facilè permeabilis; quo utuntur præstigiatores foranei, ut longioribus clavis huc velut in partes continuas & sensibiles absque dolore adactis, stupidi vulgi admirationem subtrahant: hâc, meliori consilio, varia ut variis morbis succurratur instrumenta immittit sagax Chirurgi industria: hâc alimenta & medicamina, ore impedito, in fauces ingerenda proponimus.

È C H I R U R G I A.

Variis de causis ita coarctari aut impediri potest aditus ad œsophagum, ut nulla in eum, viâ naturali, alimenta pervenire queant. Tonsillæ quandoque mirum in modum intumescunt, & penitus præcludunt fauces: lingua nonnunquam tam immani mole crescit, ut oris cavitatem omnino repleat: modò contractione muscularum convulsivâ sibimet applicati dentes nullâ vi dimoveri possunt, modò paralysî laborantes musculi deglutitionis debitibus exercendis impares sunt: externis quoque læsionibus idem in infortunium incidere potest æger: sive enim instrumento secanti sibimet ipsi jugulum male conficius confodere tentaverit, sive sclopeto in os adacto promptiore quæsierit necem, fieri potest ut vulneris hiatu ingestâ protinus exeant, aut tumefactione mox subsequenti omnis in œsophagum prohibetur aditus. His omnibus in casibus, si morbo ipso non occubuerit æger, certè quidem ipsum inediâ consumi necesse est, nisi alimentis alia detegatur via quibus vita prorogetur, usquedum naturalis patefiat aditus.

Hinc Clariss. D. Littre D. M. Parisiensis plurima tentavit experimenta ut liquor in œsophagum ingerendus per nares immediate infunderetur, sed non utique prospero successu: liquor enim sic ingestus non in pharyngem potius quam in laryngem descendit, & quidem id ex ipsa glottidis dispositione necessario consequitur, quæ, cessante omni actione, semper aperta remanet: item epiglottis (naturale, tempore dato, glottidis operculum) pone linguae basim semper erecta, tunc tantum rimam laryngis claudit, cum musculis deglutitioni dicatis deprimitur; atqui certè ingestionē propositā ejus functionis organa neutiquam sollicitantur, nulli contrahuntur musculi, partes in situ naturali remanent, liquor igitur undequaque dispergitur, & quantulacumque portio in rimam subrepserit, mox ingruit tussis, convulsio, suffocatio, mors ipsa, nisi exquisitissimæ sensibilitatis organum mox salutati conatu liberetur. Quid? si cogitaveris pulmones jam ingurgitatos tussi repetitâ concuti & vehementer labefactari, ægrumque tunc extenuatum & viribus exhaustum vix ac ne vix quidem tantos conatus toleraturum, ut fatetur auctor ipse, qui duas malè tentati auxiliī victimas occubuisse testatur?

Tutior ergo querenda remanebat medicina quam primus excogitavit spectatissimus Magister D. Libouton, Chirurgus Atrebatis. Prædictæ methodi pericula, & imperiosam ægrum nutriendi necessitatem attentè secum reputans, id operæ pretium fore duxit, si alimenta in œsophagum immediate deducerentur; quod ut obtineret, Cannulam recurvam per nares in œsophagum mitti voluit, tūm liquorem, ope syringæ, huc propelli. Sic ad Chirurgi nutum medicamenta & alimenta, usque dum naturalis redierit deglutitio, immituntur

9

tuntur , nec timendum est , ne ab ineundâ viâ aberrent , gra-
vioraque morbo ipso procreent accidentia.

Ingeniosam hanc methodum renovavit , aut potius , ut fe-
rebat ingenium omnibus Chirurgicis rebus perpoliendis natum ,
ita correxit & emendavit celeberrimus hujus Collegii Magister ,
Nosocomii Parisiensis Chiturgus primarius D. Desault , ut
sibi quasi propriam vindicaverit ; quam ex venerandi præcep-
toris praxi depromptam , sic instituendam proponimus .

Ægro congruenter & commodè posito , capiteque firmato ,
Cannula è gummi elastoico , idoneæ crassitudinis , veruculo
(*Mandrin*) sat firmo instructa leniter , molliter , & lentè
in nares deducitur , usquedum in œsophagum penetra-
visse judicetur : tum leves hinc indè motus per aliquod
tempus exercentur , ut certò constet in pharyngis cavitatem
immissam fuisse (1). Veruculum deindè aufertur , & tubulo
syringæ ad ejus orificium accommodato , liquor injicitur ,
patcè primò , ne , si Cannulæ inferior extremitas aberraverit ,
in laryngem penetrat , quod statim violentâ tussi innotescat :
postea largius devolvitur liquor : Cannula tandem intromissa
retinetur & infixa remanet , ut , quoties necesse fuerit , cibi
de novo ingerantur .

Quantùm valeat hæc praxis solâ quidem expositione satis
abundè comprobatur , sed ne aliquid remaneat dubii , & ut
nova etiam experientiâ accedat auctoritas , nonnullas in me-
dium proferemus observationes , quas publici juris fieri , pro

(1) Semel evenit , præsente Clar. D. Desault , ut Cannula in laryngem
intromissa fuerit : indè tussis convulsiva , quæ , sublatâ causâ , mox cessa-
vit : postea feliciori tentamine in debitum locum liquor demissus fuit ,

solutâ in suos aluminos benignitate, concessit libenter Clarissimus idem Magister D. Default.

Die 29^a mensis Januarii ann. 1785, ad Nosocomium de-latus fuit æger qui novaculâ jugulum sibi resolvere tentaverat. dūm retroversum erat caput, immanis aderat hiatus plagæ quæ pugnum accepisset: situ idoneo, & aptâ deligatione oræ vulneris ad sece adducebantur, sed ex nimio sanguinis profluvio, deficiebant animi, & omni deglutitione impeditâ, in eo erat æger ut mox occumberet, nisi supra memoratam methodum industrie adhibuisset Clariss. noster Præceptor. Hoc medio ad octavum usque mensis Februarii diem, idoneis & alimentis & medicamentis vita prorogabatur: cùm verò, prioris semper propositi tenax, promptiorem sibi mortem consciscere arderet, acer-rimo furoris æstu per noctem abreptus, revinctas liberavit manus, & laceratâ deligatione, digitos in vulnus profun-dissimè impulit. Statim ad auxilium adveniens (nam mihi tūm prope hunc ægrum excubitoris custodisque partes demandatae fuerant) res, ut potui, ad melius reduxi, sed nihil conatus profuerunt, & postero die asphyxiâ tentatus obiit.

Mense Aprili subsequentis anni, lignarius faber sibi pariter violentas intulit manus; pari successu usurpata fuit eadem hæc methodus, sed putridâ febri correptus æger in furem incidit, & undecimo die fato functus est.

Licet infaustus fuerit in utroque casu exitus, nihil indè tamen contrà propositam methodum concludi potest, cùm speratum semper effectum fortita fuerit, & aliâ de causâ ægri occubuerint.

Versus idem tempus dūm in ejusdem Nosocomii cubiculo Saneti-Caroli dicto rem chirurgicam facerem, accersitus fuī

ad ægrum putridâ febri laborantem qui nihil sorbete poterat. Obicem in faucibus ab externâ causâ suspicabantur custodes, sed re attentiùs perpensâ, nullus in gutture preminebat tum or, actione suâ tantùm orbari videbantur musculi deglutitionis, ita ut in os assumptus liquor per nares resiliret. Ad ægroti opem advocatus celeberr. D. Default, statim cannulam in fauces per narem egit, & sic urgenti providens necessitati, ægrum imminentि morti eripuit.

Mense Octobri an. 1786, Nosocomium delatus fuit famulus quidam qui, vitæ pertæsus, sclopeto in os immisso, glande plumbeâ se ipsum interimere conatus fuerat. Ex pyrii pulveris explosione horribili rictu diducebantur labia: plumbi in guttur granuli dispersi fuerant; nec loqui poterat æger nec deglutire, nisi summo conatu & vehementer dolens: mox tumefactio ingravescit, inflammatio augetur, & omnis omnino cessat absorbitio. Per nares intromissâ Cannulâ, ibique quatuor dies retentâ, novum alimentis medicamentisque patuit iter; tum subsidente inflammatione, ulceribusque faucium paululum detersis, naturalis restaurata fuit deglutitio, & quindecim dierum spatio ferè omnino sanatus è Nosocomio exiit.

Hoc anno, 21^a mensis Aprili die, cincinnator quatuor & viginti annos natus, eodem modo sibi vitam adimere conatus, in Nosocomium delatus fuit: missiones sanguinis, cataplasma, gargarismi, & alia quæcumque idonea media in usum venerunt, sed frustrâ: nam postero die ne guttulam quidem liquidi haurire poterat. Cannulam nari dextræ commisit celeberr. Magister Default, quâ vitæ morboque necessaria injiciebantur: sex remansit dies, quibus elapsis, paulatim remiserunt accidentia, faucium aditus alimentis patuit,

& à morbo convaluit æger, quo, sine felici hoc tentamine,
certò certius occubuisse.

*HANC DISSERTATIONEM, Deo juvante, & Præside
M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS,
Artium & Chirurgie Magistro, Scholarum Moderatore, an-
tiquo Scholæ practica Professore, Regiae Chirurgorum Aca-
demiae Socio, in Supremo Senatu Patrono, tueri conabitur
PETRUS REBEYROL, Lemovicensis, in almâ Universitate
Bituricensi Artium Liberalium Magister, nuper in Parisiensi
magno Nosocomio, dicto l'Hôtel-Dieu, Chirurgus internus,
Dissertationis auctor.*

*Die Sabbati 30 mensis Junii anno R. S. H. 1787, à sesqui-
secundâ post meridiem ad septimam,*

*P A R I S I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,*

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareâ.

M. D C C. L X X X V I I.